

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

**Johannis Mulmanni, SS. Theol. dum viveret, Licent.  
eiusdemq[ue] Prof. Publ. ord. ad D. Nicolai Archi-Diac. &  
Alumnorum Electoralium Ephori, in Academia & Ecclesia  
Lipsiensi, Commentarius In Librum ...**

**Mülmann, Johann**

**Dresdæ, MDCCI**

**VD18 10367071**

Caput Quartum.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18377**

*VI. DE UR BIIM DIVINA  
protectione.*

Sicuti hīc DĒus urbem Edom custodit, ne præminentibus aquis obruatur; ita terram ~~duas~~ <sup>duas</sup> ~~et~~ <sup>et</sup> contra omnem aquarum eluviam quovis tempore, protulit, defendit. Mirum sanè est, Oceanum magnum sicca loca nō submergere, cùm ita intumescat, ut cum suis fluminibus unum cum terra globum constitueret possit. Causam Physici assignant naturæ aquæ, cuius figura naturali proprietate rotunda est: sed unde natura hoc habet? Certè à Creatore, qui mari terminum ponit, ne terram operire possit, ut David loquitur Ps. Cill. 9. & Job. XXXVIII, 10. Aliás mare & terra facile confunderetur in unum Chaos.

# CAPUT QVAR-TUM.

**Q**uartum caput continet *Jā ēpōvēa i.*, e. quæ transitum Jordanis consecuta sunt. Nam nē tanti miraculi memoria unquam in animis hominum obliterari posset, jussit DĒus ejus conservandæ causa 12. lapides erigere, quorum conspicu etiam sera posteritas de beneficiis majoribus exhibitis, futuris seculis commonefieret.

*Partes capitū tres sunt. 1. est Ἐπανάτη, in qua DĒus de erigendis lapidibus mandatum proponit. 2. Est διηγήση enarrans exitum Israēitarum ex Jordane.*

S 3

3. Συ



3. Συσαλιν̄ commendans obedientiam Iosuæ, qvomo-  
do lapides, prout iustus fuerat, erexerit, & de illorum  
usu recte instituerit.

*Qvibus transgressis*) Prima pars subdivi-  
ditur in duo genera personarum, qvarum una man-  
dat, altera obedit. Notentur autem demandati ope-  
ris circumstantiæ. *Causa imperans* vel principalis est  
DEus tale gratitudinis specimen ab hominibus po-  
stulans v.1.

*Causa instrumentalis* prime notæ est Iosua dux po-  
puli v. 4. *Instrumentalis* secundæ sunt 12. viri de-  
singulis tribubus selecti ad deportandos lapides v. 2.  
& 4.

*Causa materialis* sunt 12. lapides ex medio Jordane  
ablati v. 3. & 5. *Causa formalis* est ipsa positio vel ere-  
ctio lapidum in loco castrametationis. v. 3. *Finalis* est,  
ut per hæc monumenta posteri de miraculo transi-  
tu olim commonefieri possint.

v.1. *Elige 12. viros.*) Ne mireris, DEum post  
transitum jubere id, qvod Iosua ante transitum man-  
davit v. 12. cap. præcedente: fit hoc secundum usita-  
tam ἀναφοραν, cuius ratio est, qvia agitur jam de  
officio 12. virorum electorum, vel electionis istius cau-  
sa finali.

*Ubis steterunt pedes*) Hoc dicitur non  
propter sacerdotes ipsos, sed propter arcam fœderis,  
qvam illi eo in loco stantes gestabant, donec populus  
omnis transiisset. Significatur autem omnem occa-  
sionem & materiam glorificandi DEum à Christo su-  
men-



mendam esse. Nam qui non honorificat filium, non honorificat patrem, qui misit illum Joh. V. 23.

v. 6. *Ut sit signum inter vos*)  
 Vox *signi* habet varias significaciones in Scriptura. I.  
 Datur *signum* *προγνωστικόν*, quod futurum aliquid prænunciat: ut Eclipses Solis & Lunæ sunt signa magnarum mutationum, quin imò extremi judicii Luc. 21. Sic vaticinia Prophetarum nominantur signa Deut. Xlll, 1. Item Matth. VII, 22. & XXIV, 24.

2. Aliud est *πραυντικόν*, quod nobis rem præteritam in memoriam revocat, sicuti hilapides 12. & supra funiculus coccineus Rahabis. Tertium *signum* est *δεκτικόν*, quod de re præsente nos admonet, ut arca fœderis est signum DEI in medio populi præsentis. Quartum est *προφετικόν* i.e. obsignans rem promissam, ut est, sigillum, quo Chirographum confirmatur. Hoc sensu omnia Sacraenta sunt sigilla gratiæ. Quinto reperitur etiam in N. T. *signum παρεκκλησίας* i.e. *exhibitivum*, ut cum in cœna Domini panis & vinum dicitur signum esse corporis & sanguinis Christi, non propter significationem, sed exhibitionem: ita ignis in dissectis linguis est signum Spiritus Sancti *παρεκκλησίας*: quia per hoc symbolum non significavit, sed contulit & exhibuit Christus spiritum promissum. Hanc *διανοιαν* si agnoscerent Sacramentarii, minus turbarum darent in Ecclesia.

*Fili vestri cras*) Vox *cras* non accipitur hīc definitē de sequenti die, sed indefinite de quovis futuro tempore, sicuti vox (heri) quovque de præteritis quibusq; seculis usurpatur Heb. III, 18.

po.



*positi sunt lapides isti)* De forma & modo hujus erectionis nihil certi constat, an lapides erecti fuerint in unam molem vel formam altaris: an vero distincte, ita, ut duodenarius numerus evidenter conspici & insignis alicujus rei indicium facere possent. Verum cum finis hujus facti non sit immolatio, sed commonefactio de transitu Jordanis ad i2, tribus directa, verisimilius est hosce lapides distincte positos esse, quemadmodum Moses in monte Sinai praeter altare i2. columnas erexit Exod. XXIV, 4.

v.9. *Sunt ibi usq; in præsentem diem)*  
Haud inepte putant Scholastici, Johannem Baptisnam hosce lapides porrecto digito ostendisse, cum propè Jordanem Judæos ita compellaret Luc. III, 8. *Dico vobis, qvia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham.* Alii volunt, præsentem diem referendum, esse tantum ad id tempus, quo liber Josuæ sit scriptus: sed hoc minus probabile videtur: propterea quod Israëlitæ seqventibus seculis, istis monumentis perinde opus habuerint atque prioribus.

### QVÆSTIO I. *An licuerit Israëlitis ponere hos duodecim lapides?*

Non videtur licuisse ideo, quod Deus ante hoc expressis verbis prohibuerat Lev. XXVI, 1. Non facietis Idolum & sculptile, nec titulos (*Hebr. מְצָבָה i.e. statuum*) erigatis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra. *Lapis insignis Hebraicè אַבָן מְשֻׁבֵּת i.e. la-*



*lapis speculationis sive fabricationis. Ein Werkstück.  
At 12. lapides Josuæ erant in loco lapidis & statuæ positi.*

Contrà Josuam rectè fecisse probo 1. ab expresso mandato DEI, qvi lapides erigere jussit. 2. Ab exemplis Jacobi, qvi ter legitur erexisse lapides, 1. in Bethel, Gen. XXII X, 22. 2. Ibidem, cùm reverteretur ex Mesopotamia Gen. 31, 45. 3. Super sepulcrum Rahelis Gen. 35, 20. Idem fecit Moses Exod. 24, 4. Et Samuel Sam. 7, 12.

### SOLUTIO.

Respondent alii ad objectionem: Legem communem non everti privilegiis, siue legibus specialibus, licet sint præter ejus intentionem. At rectius respondetur per distinctionem ab erectis lapidibus petitam: DEus non simpliciter prohibet statuas, imagines & monumenta, aliás debuissent Judæi ne limites quidem in agris tolerare, sed duntaxat qvoad usum adorandi & instituendi cultus non divinitus mandatos. Sic enim textus habet: *Non insignem lapidem ponetis in terra vestra ad incurvandum vos super eum* (ut est in Hebræo). In hunc finem non posuit Josua suos lapides, ut eos invocarent Judæi, sed ut eorum intuitu de transitu miraculo admonerentur.

### QVÆSTIO II.

*An liceat cultus divinos proprio motu & attentione instituere?*

Parti affirmanti suffragari videtur hic Josua, dum  
T in



in medio Jordane 12. lapides erigit, cuius tamen non legitur accepisse à DEO mandatum.

*Contra DEus non vult coli mandatis hominum Esa. XXIX, 13. Matth. XV, 9.*

### SOLUTIO.

Resp. ad exemplum Josuæ. Josua hac erectione lapidum, quos in Jordane posuit, non instituit novum cultum, sed tantummodo vult posteris relinqvere munera divinorum beneficiorum. Distinguendum est igitur id, quod adorationis seu cultus causa institutum est, quo animi hominum à vero DEo abducuntur; & id, cuius finis est rerum utilium recordatio & commemoratio.

### LOCI THEOLOGICI.

#### DE GRATITUDINE ERGA DEUM.

Nefas est cùm omnis *ingratitudo*, tūm in primis ea, quam DEO pro acceptis beneficiis rependimus; & quò vitium hoc turpius est, eò ad id omnes sumus procliviores, ut divinorum beneficiorum memoriam ex animis nostris facile deleri patiamur. Huic malo medicinam commodam facturus, DEus voluit populum suum singularibus monumentis ac veluti symbolis ad conservandam acceptorum beneficiorum memoriam excitari. Agno paschali revocabatur Israëlitis in memoriam interiectionis omnium primumogenitorum, & admirabilis eductio ex Ægypto. Festo Pentecostes admonebatur populus de promul-

ga.



gatione legis Levit. 23. Altare lapideum cum 12. titulis qvid aliud fuit, nisi memoriale pacti initi inter DEUM & Israëlitas. Exod. 24. Et eur Josua noster hosce lapides erigit? Atqve in hunc finem gestabant Judæi Φυλακῆσα Matth. 23, 5. Devt. 22, 12. Num. 15, 39. ut ea intuentes recordarentur omnium mandatorum DEI.

In N. T. instituit Christus sacræ cœnæ sacramentum, cupiens id usurpari in suam commemorationem, de quo sic Augustinus scribit l. 20. contra Faustum c. 21. *Caro & sanguis Domini ante adventum ejus per victimas similitudinem promittebantur. In passione Christi per ipsam veritatem reddebantur. Post ascensum Domini per Sacramentum memoriae celebrabantur.* Hoc est nostrum μνημόσυνον, quo gratitudo erga Salvatorem pro redemptione humani generis ac remissionem in nobis acceditur, nutritur & augetur. Qvare cui beneficium aliquod divinitus confertur, istud eate DEO grato animo laborum suorum vitulos offerre: hoc si fecerit, divinæ beneficentiae fontem uberioris in se redundare ac promanare experietur. Nam ut D. Ambrosius super verba Pauli (*Mortem Domini annunciatit*) commentatur: *Iccirco redemptoris nostri & redemptionis reminiscimur, ut ampliora consequamur. Contrà ubi ejusmodi memorialia deficiunt, illicò subrepere solet oblivio DEI & meritorum ipsius, exempla habes in contentoribus Cœnæ Dominicæ.*

2. Qvod autem 12. lapides pro numero tribuum ponuntur, id edocet, qvod omnes homines pari vinculo ad gratitudinis studium DEO obligati ac devincti sint. Nec potest in hoc opere pietatis qvispiam alterius vi-

T 2

cem



cem explere, sed ut singuli quotidiè DEI munificentia  
frui mur, ita sui memoriam perpetuo nobiscum cir-  
cumferamus, perpendentes hoc, quod gratitudo no-  
stra nullam acceptorum beneficiorum partem com-  
pensare possit. Nihilominus Deus cæteris benefi-  
ciis hoc quoque addit, ut etiam inæqualem & impar-  
em gratiam pro retributione aliqua non ex debito,  
sed ex favore & gratia acceptet, sicut David inquit Ps.  
**CXV, 12.** *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ  
tribuit mihi? tibi sacrificabo hostiam laudis.*

3. Quod lapides è conspectu arcæ tolluntur, eo si-  
gnificatur, nullam gratiarum actionem DEo acce-  
ptam esse, nisi quæ fiat in nomine Christi per arcam  
sæderis significati; de quo sic *Paulus I. Tim. I, 2.*  
*Gratias ago ei, qui me confortavit in Christo JESU, Do-  
mino nostro. Et I. Thessal. V, 18. In omnibus gratias a-  
gite. Hæc enim est voluntas DEI in Christo JESU.*

## II. De vero usu imaginum ac statuarum in cætu sacro.

*Si imagines in templis vel aliis locis ponuntur, non  
ut adorationis cultu eas proseqvamur, sed ut illarum  
intuitu nos cum posteritate nostra de singulari aliquæ  
historia ac beneficio admoneamur: id æquè à Sacra  
Script. & vera pietate alienum non est, atque hæc ere-  
ctio lapidum. Nullibi enim prohibentur imagines  
in & per se, sive simpliciter, sed ob adorationis abu-  
sum. Εινωνιάσα, igitur, qui nullas ferunt imagines  
in templis, propterea quod olim in idololatricum abu-  
sum conversæ fuerint, faciunt næ intelligendo, ut ni-  
hil*



hil intelligent. A nostris enim Christianis per gratiam DEI longissime abest non tantum voluntas idola fabricalia invocandi, sed etiam omnis, quod id unquam facturi sint, suspicio.

### III. De usu miraculorum.

DEus edidit miracula in veteri Ecclesia non tantum propter patres qui tunc vixerunt, sed etiam propter nos posteros; quemadmodum hic Josua etiam filios vult de præterito miraculo lapidibus erectis edoceri: ita miracula divina etiam nostro tempore hunc habent usum, ut illis corroboremus fidem, & in afflictionibus certa habeamus consolationum fundamenta. Audiatur Johannes cap. 20. ubi ait: *Christi miracula, quæ literis consignata sunt eō, spectare, ut credamus & ut credentes vitam habeamus in nomine ejus.* Iccirco non opus est hoc seculo novis miraculis: 1. Qvia non proponimus novam doctrinam. 2. Qvia vetera miracula etiam propter nos facta sunt.

### IV. De officio parentum erga liberos.

Munus parentum præcipuum est, ut filios suos ad omnem pietatem informent, iisdemque beneficiorum divinorum memoriam sedulò ac diligenter inculcent. Nam sicut hic DEus posteros olim vult instruimus miraculosi per Jordanem transitus: ita ante annum agni paschalis in hunc ipsum finem instituit: de quo tale mandatum extat Exod. XII, 26. *Cum dixerint vobis filii vestri: Quæ est ista religio? Dicetis eis: Victimæ transitus Domini est.* Sic Deut. IV, 10. & VI.

T 3

v. 6.



v. 6. mandat verba legis etiam filiis acui. Tam fideles  
 & patres familiás fuerunt Abraham, cuius  
 diligentiam domesticam commendat Deus ipse Gen.  
 XVIII, 19. & David Ps. XXXIII, 12. Assaph Ps. LXXVII,  
 6. Narrabunt filiis tuis (patres) ut ponant in DEo spem  
 suam & non obliviscantur operum DEI & mandata ejus  
 exquirant In hoc cardo officii paterni & materni ver-  
 satur, ut filios ad pietatis cultum & considerationem  
 divinorum beneficiorum assuefaciamus. Nam timor  
 Domini initium est sapientia & obedientiae filialis & a-  
 liarum virtutum seminarium.

*V. De posteriorum diligentia in conservandis  
 pietatis monumentis à majoribus bono  
 animo positis.*

Cum textus habet: Duodecim lapides positos man-  
 sissem in præsentem diem: commendatur posteriorum  
 fidelitas & pietas, qvi licet, ex suspicione fecutur ædol-  
 olatriæ illos potuissent dejicere, tamen id minimè fa-  
 ciunt; qvia finem bonum omni suspicioni & abusui  
 præferendum esse judicabant. Quemadmodum CAL-  
 VINISTÆ non habent sufficientē causā, cùm omnes  
 imagines è templis exturbant, hoc prætextu, qvia  
 præcidenda est posteritati omnis occasio exercendæ  
 Idololatriæ. Discimus autem hoc loco, qvæ pietatis  
 conservandæ studio à majoribus bene constituta sunt,  
 ea non esse à posteris abolenda, etiam cum licet, qvia  
 temerariæ mutationes ceremoniarum plerumq; se-  
 cum trahunt mutationem doctrinæ, quemadmodum  
 CAL.



CALVINISTÆ ab imaginum abrogatione progreduuntur ad evertendam veram in Ecclesia doctrinam.

### EXPLICATIO TEXTUS.

v. 10. *Sacerdotes autem, qui portabant arcam*) Hæc est secunda pars capitis dynnum: enarrat enim, quomodo Israëlitæ ascenderint ex Jordane, aut inde egressi fuerint. Describitur *egressus* 1. *populi* 2. *sacerdotum*. *Populus* observat alium ordinem in egressu, alium post egressum in reliquo itinere. Ibi enim relinqunt retro Sacerdotes in Jordani medio portantes arcam: cuius rei ratio sumitur à fine, qui est completio omnium, quæ Dominus præceperat Josuæ v. 10. Hic vero in itinere mutant ordinem præmittentes sacerdotes cum arca. v. 11. sacerdotes seqvuntur duæ tribus cum dimidia: post reliquias fratres. Instituitur autem hic *descriptio exercitus* 1. à numero bellatorum, qui sunt 40000. 2. à forma militari: nam incedunt per turmas & cuneos: seu mavis ab habitu militari, quem Hebræa lingua innuit voce ἡγέρη, quæ significat eos armis levibus induitos fuisse. 3. *A fine itineris*, qui notatur mentione urbis Jericho v. 13. Atque hæc amplificantur repetitione cause finalis respectu DEI: hic enim voluit hoc miraculo Josuam magnificere & populo metuendum reddere v. 14.

*Præcipe Sacerdotibus*) Jam de egressu sacerdotum ex Jordane. Notetur hic primò *ἄλιον ἀπομενόν*, quod est mandatum DEI expressum v. 16. 2. *Ἰό έκβαται* est refluxus naturalis aquarum Jordanis

v. 17.



v. 17. 3. χρεον γε αὐταῖς five adjunctum temporis, qvod est decimus dies mensis primi. 4. Τοπογέα φία, ubi castra metati sint noctu v. 19.

v. 10. *Ut dixerat ei Moses*) Verba Moysis hæc sunt Deut. 31. v. 7. *Confortare & esto robustus: tu enim introduces populum istum in terram, quam daturum se patribus eorum juravit Dominus: & tu eam divides &c.* Cognoverat autem hæc Moses ex ore Domini Deut. III, 28.

*Festinavitque populus*) *Festinationis* hujus causa potest adduci triplex 1. Propositum isto die perveniendi ad locum Gilgal & ibi pernoctandi. 2. Multitudo populi, qvæ continebat ultra sexcentos mille bellatores, non numeratis senibus, tœminis & juvenibus cis 20. annos. Num. XXVI, 25. 3. Accessit hoc procul dubio magnus metus & terror obortus ex conspectu aquarum in majorem altitudinem subinde excrescentium

v. 12. *Fili quaque Ruben & Gad*) Hic satisfaciunt mandato, qvod supra proposuerat Josua cap. I, 14. Et Moses Num. XXXII, 20.

v. 13. *Per turmas & cuneos*) Hebræus textus sic habet Pagninô interprete: *accincti exercitus transferunt ad facies Domini, ad prælium ad competitia Jericho* חַרְבָּי (אֶלְחָלֵךְ i.e. laxus fuit) dicuntur milites omnibus impedimentis & oneribus laxati, qvò essent ad militiam expeditiores. Tales erant Rubenitæ, Gaditæ & ex mediâ tribu Manassitæ, qvi relictis parvulis, mulieribus, pecoribus ac jumentis in urbibus Galaad cis



cis Jordanem ita expediti ad bellum prodibant, ut legimus Num. XXXII, 27. Ac propterea antecedebant fratres familiarum suarum comitatu onerati.

v. 19. *Decimo die mensis primi)*

*Mensis primus* est Hebræis *Nisan*, qvi etiam *Abib* אַבִיב vocatur, respondet partim Martio nostro, partim Aprili. Accepit appellationem à pubertate sive germinatione & maturitate hordei, ut appareat ex cap. 9, 31. Exodi. Unde & mensis novarum frugum vel verni temporis dicitur Deut. XVI, 1.

*In Galgalis)* *Galgal* sive *Gilgal* est oppidum intra Jordanem & Jericho quatuor gestis clarum. 1. Castrametatione Josue. 2. Circumcisione Israëlitarum. 3. Celebratione prime Paschæ. 4. Erectione 12. lapidum. Sed contaminarunt hunc locum posteri peregrinatione idololatrica, ob quam in severissimam Prophetarum reprehensionem incurrint, ut videre est Hos. II, 4. 9. & Amos, V.

*QVÆSTIO I.*

*An sacerdotes in Jordani medio tamdiu steterint, donec omnia essent completa, qua Deus præceperat?*

Resp. *Affirmative.* Hoc enim expressa verba volunt v. 10. quibus contradicere nefas & piaculum dicimus. Verum ita sentientibus potest tale argumentum objici:

Si sacerdotes ad mandatorum omnium completiōnem usque in Jordane steterunt, seqvitur eos aliquot ann-

V



annos ibi stetisse. Sed hoc est inconveniens. Ergo etiam illud. Probatur Copulatum: qvia mandaverat DEus Josuæ non tantum transire Jordanem, sed etiam terram expugnare & populo distribuere, qvod sanè effici intra aliquot annorum spatia haud potuit.

### SOLUTIO.

Respondent nonnulli, textum loqui de iis omnibus, qvæ in Jordane ante refluxum aquarum essent facienda, videlicet ut 12. lapides ibi erigerentur, & alii 12. inde auferrentur ad propagandam & conservandam miraculi memoriam, qvæ dum populus fecisset, steterunt Sacerdotes in medio Jordanis, nec moverunt de loco pedes. Verum hæc responsio nobis non satisfacit propterea, qvod in textu dicuntur omnia facta, qvæ DEus præceperat, & Moses ad Josuam dixerat: sed de lapidibus nihil dixerat Moses, sed de terra occupanda.

Qvapropter nos ad copulati probationem ita respondemus: Exeunte populō & ingrediente ripas Jordanis omnia completa sunt in suo initio. Nam divinarum promissionum ea est certitudo, ut si una compleatur & in actu ponitur, cæteræ quoque inde consequentes pro completis habeantur. Exempli gratia. Concepto Christo in utero virginis, rectè gratulatur Zacharias Ecclesiæ de erecto salutis cornu, qvod prophetarum oracula conceptione Christi completa essent, cùm tamen adhuc multa essent futura, qvæ ad erigendum salutis cornu pertinerent, utpote Nativitas, passio, resurrectio, ascensio in cœlum, & institutio ministerii N. T. Luc. I. Ita etiam hoc in loco, dum populus ex Jordane in terræ promissæ ripas ascen-



scendit, synecdochice censentur, propter certitudinem reliquorum eventuum & completionum omnia completa esse.

### QVÆSTIO II.

*An numerus pugnatorum ex duabus tribubus & dimidia electorum habuerit tantum quadraginta millia?*

Hanc quæstionem ideo moveo, qvod videntur hæc verba pugnare cum iis, quæ supra leguntur Num. XXVI, ibi enim numerantur filii Israël ad bella idonei, & reperiuntur in tribu Ruben 43730. v. 3. In tribu Gad. 40500. v. 18. In tribu Manassæ 52700. v. 34. Hi redacti in summam efficiunt 136930. & licet auferas dimidiā partem Manassæ 26350. tamen restant de tota summa 110580. Qui numerus magis duplo exuperat numerum in nostro textu expressum. Nec obstat, qvòd quis opinari velit, ex hisce tribubus ingentem numerum morte detractum esse: nam hæc computatio in deserto facta est anno 40. sive ultimo ab exitu, cum Israëlitæ jam ex deserto in terram Canaan emigraturi essent. Dicat aliquis, Josuam non jussisse plures præire quam 40000: sed obstat, qvod supra cap. I, 14. Josua jussit omnes fortes manu ex duabus & dimidia tribubus ante fratres Jordanem transire & pro ipsis pugnare.

### Responsio vera.

Respondeo igitur distingvendo universale mandatum à renunciatione proprii juris, de quo quantum quis remittere velit, id est penes suum arbitratum.

V 2

Qvæ-



Qvare primò jussit Josua duarum tribuum & dimidiæ exercitum universum fratres ad bella præcedere, ut intelligerent, qvid juris quantumq; deberent pro primis terræ Amorrhæorum sibi concessis: postea consentiente populo elegit Josua duntaxat 40000. necessitate plures non postulante. Nec enim consultum aut necessarium videbatur omnes bellicosos educere: cæteri domi relicti sunt ad colendos agros & defendendos terminos regionis contra insidiosos hostium insultus. Atqve ita nulla est in numeratione dissonantia.

## LOCI THEOLOGICI.

### I. De officio procerum in quolibet statu.

Sicut hic *Sacerdotes* primi Jordanem ingrediuntur, novissimi exeunt, præmittentes festinantem turbam: ita qvos DEus populi sui duces & antesignanos vel in Ecclesia vel in politiâ constituit, eos vult etiam in sustinendis periculis primas & novissimas partes tene-re, nec antè pacato esse animo, qvām fidei suæ commissos in vado & tuto portu versari conspiciant. Qva de causa *Homerus* fideles principes vocat *ποιέας λαοῦ*. Nam sicut *bonus pastor* oves suus modò præeedit, modò seqvitur, haudqvaquam verò involanti lupo devorandas relinquit: ita præfectum decet tam posticis qvam anticis periculis caput suum objicere, qvod David facit, cùm graffatorem pestiferum populo parcere mallet, qvam sibi suiq; Patris domui. 2. Reg. 24, 17. Ut enim *Jurisconsultus de feudi collatoribus* dicit. *Dominus quoque in his omnibus vicem fideli suo redde-*

76



*re debet, qvod si non fecerit, meritò censabitur maleficus; ita omnes proceres obligati sunt divina autoritate ad præstandam fidem iis, qvibus præsunt: hoc quo magis fecerint, eò majore erunt in aestimatione. Nam ut Germanum proverbium habet: getreue Herr / getreue Knecht.*

II. Deinde consolatione plenum est hoc, qvod *arca* qvoqve populum in ingressu Jordanis præcedit, in egressu seqvitur: ita enim *Christus* typo illo significatus, testatur, se primum & novissimum in Ecclesia sua non solum ratione temporis sive æternitatis, sed etiam officii, qvia custodit omnes nostros ingressus & egres-  
sus, excipit ipse manu sua jactata persecutionis tela,  
*Dilatans gressus nostros subiugos nos & non nutant crura nostra* Ps. XXX,

Ps. XVII, 37.

III. Sicut populus festinat ad ripas Jordanis: ita nos ad vitæ æternæ tanquam veræ patriæ portum properare debemus: hic enim velut in terrenæ vitæ diversorio commoramus, unde nos mortalitas nostra qvotidie ad melioris vitæ sortem emigrare jubet, Ps. XXXVIII, Hebr. XI, 13. I. Pet. II, II. Properandum autem est nobis ita, ne sicut uxor Lothi seculi hujs desiderio retrospiciamus, sed ut *hoc mundo tanquam non utentes utamur.* I. Cor. VII, 31.

IV. Autoritas est magnificentia, qva DEus magistratus donat ad excitandam in subditorum animis reverentiam ac metum.

V. *De causis miraculorum.* DEus non edit miracula qvalibet de causa, ne videatur illis ludere: sed cum Ecclesiæ salus & exædificatio postulat. Ideoqve dicitur

V 3



tur in textu, quod aqua in locum suum reversa fuerit,  
simul ac Israëlitæ Jordanis alveos evaserant salvi.

VI. Tempora rerum gestarum fideliter consignanda,  
quia non mediocriter ad faciendam historiæ fidem  
conferunt v. 19. Licet autem annus transitus non ex-  
primatur, facile tamen est coniicere, eum fuisse qua-  
dragesimum primum ab exitu, id quod probatur hoc  
modo: Mense primo anni quadragesimi vixit adhuc  
Moses, qui mense undecimo ejus anni recitavit verba  
Deuteronomii, ut ex primo Deut. liquet. At primo  
mense transitus non vixit adhuc Moses: nam mor-  
tuó immediate successit Josua: Ergo primus Jordanis  
transitus non est primus mensis anni quadragesimi,  
sed quadragesimi primi.

### LOCUS POLITICUS.

Ad castram etationes faciendas loca eligenda sunt  
idonea, partim ut progressus ad ea sit tutus ac pru-  
dens, partim ut sint frumentationi, pabulationi, a-  
quationi, lignationi, valetudini & victoriae apta-  
v. 19.

### Explicatio Textus.

v. 20. *Duodecim quoque lapides*)  
Hæc est *tertia pars capitinis cœsalium* (*commendativa*) in  
qua commendatur obedientia Josuæ, quam DEO præ-  
stiterit bifaram, 1. τῷ Ἑρῷ opere, dum 12. lapides in  
Galgalis erexit. 2. τῷ λογῷ, quo facti illius rationem  
reddit. *Oratio ad filios Israël instituta est* ὁ Θεὸς εἰς τὸν οἶκον  
eaenim hortatur Josua fratres, ut 12. lapidum indicio  
& si-



& significacione memoriam exhibiti miraculi ad seram posteritatem propagent. Describit autem miraculum *ἀλυσθογικός* (i. e. secundum circumstantiam causarum) 1. *materialis causa* est Jordanis cum suis alveis v. 22. (est materia in qua) 2. *causa efficiens* est DEus. 3. *Formalis* est ipsa alveorum exiccatio præter naturæ cursum facta. v. 23. additur amplificatio à συγχέσι alterius miraculi in rubro mari editi v. 24. 4. *Causa finalis* duplex est: una respectu DEI generalis est divinitæ omnipotentiæ agnitione inter omnes gentes. Verba textus: *Et discant omnes terrarum populi.* Altera respectu nostri specialis, est verus DEI timor in populo Israël. Verba textus: *Ut & vos timeatis DEum.*

v. 23. *Siccante Domino Deo vestro*)

Hæc siccatio facta est non per rarefactionem, sed partim per decursum aquarum inferiorum, partim per repressionem & inhibitionem aquarum superiorum. Deinde potest hæc siccatio intelligi de residuo humore alveis inhærente, quem sicut olim in mari rubro ventus orientalis urente flatu absorpsit & in aërem dissipavit. Exod. XIV, 21.

*QVÆSTIO:*

*An lapides 12. immediate in Gilgal  
erecti fuerint?*

Judæi putant, hosce lapides prius in montem Hebal deportatos, ut ibi illis verba legis inscriberentur, & ex iisdem altare ad immolandum constitueretur, po-



postea ad Galgala translatos esse petentes prætextum ex argumento, qvod tale est:

Qvod Moses jussit, id omne Judæi fecerunt ante adventum in Gilgal: nec enim ex Jordane ascenderunt sacerdotes, anteqvam omnia Moysis jussa essent completa, ut dictum est suprav. 10.

At jussit Moses transmissio Jordane lapides in monte Hebal erigere, cum inscribendæ legis, tum altaris ædificandi causa Deut. XXVII, 2.

Ergo id omne fecerunt Judæi ante adventum in Gilgala.

Resp. I. per negationem: MAJOR est falsa, nec enim voluit Moses omnia sua jussa singillatim ante adventum in Gilgala expleri. Probationem MAJORIS qvod attinet, responsum est supra. Resp. Secundò. Mandatum Mosis minimè convenit cum iis, qvæ in Gilgalà peraguntur. 1. Qvia jussit Moses non lapides ex Jordane tollere, sed saltem erigere. 2. Non loquitur de 12. lapidibus. 3. Planè eorum aliud vult esse usum, qvam miraculosi transitus recordationem.

4. Qvia mons Hebal situs erat post Jericho, qvò unius diei spacio pervenire non licebat. 5. Qvia mandatum Mosis completur infrà exactè cap. 8. v. 30.

## LOCI THEOLOGICI.

I. *Duodecim lapides sunt typi 12. Apostolorum*, qvos Christus constituit testes fortissimos non tantum suorum miraculorum, sed etiam omnium beneficiorum, per qvæ Deus nobis voluntatem suam affatim manifestavit, prout summa comprehenditur legis & Evangelij.

II. In



II. In *Josua* proponitur præclarum exemplum cùm pietatis erga D<sup>e</sup>um, tñm fidelitatis erga populum. Nam ut appulit in Gilgalis, erigit mnemosyna (i.e. testimonia signum testificantia) divinæ omnipotentia. Postea de piè rectèq; educandis liberis salutaria *παιδιαθλα* præscribit. Id qvod de boni Magistratus officio non postremum est. Nam cùm juventus sit veluti honestorum civium seminarium, suscipienda est educationis cura prima. Sicuti enim vitium primæ concoctionis non corrigitur in secunda, multò minus in tercia: ita emendare non licet adultos cives, quos pueritia pravis moribus imbuit. Recte igitur Aristoteles lib. 8. polit. c. 1. *Disciplina puerilis intermissionem*, ait, evertere politias. Nam quales ab initio sunt mores, talis postea evadit civitas, ita ut mores optimi sint causa, optime Reipublicæ. Græca verba sunt: *αἱ δὲ τὸ βελτίστων πόλιον αἱτιον πολιτείας, οὐδὲ τοῖς πόλεσσιν προσαρτεῖσθαι καὶ προσεβίσθαι πρέστας εὐδαίμονας ἔγειταις i. e. Semper optimus mos causa est optima reipub. Nam circa omnes facultates & artes sunt, quæ optimè antea percipi & exerceri oportet ad eam operaciones. Qvo nomine laudat Philosophus Lacedæmonios, qvod maximum studium informandis pueris adhibuerint. Hoc si à magistratu negligitur, & parentum & defensorum vel prodigorum vel negligentium filii patriæ olim sunt ignominiæ, ut ignavi fuci Gassen treter: etiam oneri, ut mendici, etiam damno, ut fu res, lusores, usurarii, expilatores.*

## X CAP.



# CAPUT QVIN-

TUM.

## SUMMA vel ARGUMEN-

TUM.

**H**oc caput recenset, qvomodo primarii DEI cultus in V. T. Circumcisio nim. & sacræ Paschæ mactatio in Gilgal peractæ sint. Hisce enim Israëlitæ ad bella feliciter gerenda ita se parant, ut ipse filius DEI in assumta Viri militaris forma Josuæ non procul à Jericho apparere & principem se super Domini exercitum venditare non dignetur.

### *Divisio capitinis.*

*Partes capititis tres sunt.*

1. habet ἡ περιτομὴ του Ιοσουέ, qvomodo circumcisionem repetivit.
2. habet ἡ περιτομὴ του ποπλι Πασχα Domini solenniter celebrantis.
3. habet ἡ περιτομὴ του φίλιου ΔΕΙ in forma principis militaris apparentis.

### *DE PRIMA PARTE.*

*Postquam autem audiverunt*)

*Circumstantie præcipuae in hoc Circumcisionis repetitæ negotio notantur hæ: 1. Occasio sumitur ab Amorrhæorum terrore v. I, cuius Israëlitæ cùm certo*

con-

